



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Caput II. Al aliquid sit, quod scientiam Dei subterfugiat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

Delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore . . . &c. unde rectissime Divini Verbi probatur cum Patre indivisa substantia. Et Sap. VII. 22. sapientia appellatur *Spiritus intelligentia sanctus, unicus, multiplex, subtilis, &c.* Secundo SS. Patrum auctoritate: Augustinus Tract. 99. in Joannem ait: *Ideo non est ista substantia, cui hoc non est esse quod nosse: potest enim esse nec nosse. At illa Divina non potest; quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud sit illi scientia qua scit, aliud essentia qua est, sed utrumque unum est: nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est.* Cyrillus lib. xxxi. Theol. *Quum confessione omnium simplex sit, non est aliquid ab eo diversum ipsius cognitio.* Bern. lib. v. de Considerat. cap. 5. *Dicimur amare, & Deus, dicimur nosse, & Deus: sed Deus amat ut charitas, novit ut veritas.* Circumfertur & Synesi sententia in lib. de Insomniis: *Intelligentia est ipsa Dei substantia.* Ratione idem probatur; nam si Deus foret sapiens participatione veritatis, non perfectione substantiæ, esset & compositus & mutabilis: Deo compositio & mutabilitas quæque repugnat: Ergo Deus substantialiter sapiens est, non veritatis, ut D. Bernardus loquitur, *participio.*

6. Consequitur ex dictis sapientiæ Dei omnia convenire attributa, quæ de natura Divina enunciantur. Quare Sap. VII. dicitur spiritus intelligentiæ *Sanctus*, nulla mentis contagione inquinatus; *Unicus & multiplex*, simplicissimus ex parte Dei, & late se per omnia genera rerum diffundens: *certus*, & nulli obnoxius errori; *subtilis*, & cuncta pervadens: *omnibus mobilibus mobilior*, & rebus omnibus motum tribuens ac directionem: *Candor lucis æternæ & speculum sine macula*, absque concretionem terrena, & nube corporei sensus: *omnia potens*, energia &

virtute: *in se permanens*, immutabilitate perpetua: *omnia innovans* multiplici efficientia.

Quæ cum ita sint; varia, quas tradunt Theologi Scientiæ Divinæ partitiones, nos in ordine ad diversa objecta & connotata explicabimus. Ac primo dicenda erit *sapientia*, quatenus pertinet ad scrutationem rerum æternarum, in quibus tanquam in causis etiam mutabiles creaturæ præcontinentur: *Scientia* vero dicetur, prout alia à se Deus contemplatur, & intuetur. Dicitur *speculativa*, quatenus est cognitio objecti non operabilis, ut scientia sui ipsius, rerum possibilem, malorum culpæ: *Practica* e contra, quatenus est cognitio objecti operabilis, ut scientia mundi è nihilo producendi, bonorumque operum Divino auxilio perficiendorum. Distinguunt præterea Theologi Divinam scientiam in *liberam*, & *necessariam*; quarum prima est, quæ pro objecto habet quidquid pendet à libero decreto Dei; & talis est scientia creaturarum existentium: Altera est, quæ omne decretum Dei antecedit, & habet pro objecto creaturas tantum possibilem. Postremo alia est scientia *simplicis intelligentiæ*, alia scientia *visionis*. Scientia *simplicis intelligentiæ* est ea, quæ versatur circa res, quæ non existunt, neque exituræ sunt, ut cognitio rerum possibilem, quæ abstrahunt ab omni *futuritione*, & ab omni existentia. Scientia *visionis* est illa, quæ versatur circa res in aliqua temporis differentia existentes, ut cognitio rerum præsentium, futurarum, præteritarum. Inter scientiam *visionis*, & *simplicis intelligentiæ* statuunt aliqui scientiam futurorum conditionatorum, quæ à nullo dependent efficaci & absoluto decreto: & hæc est celeberrima *Scientia media*, de qua postmodum. Nam hic de scientiæ Dei à Divina substantia indistinctione tractandum erat.

7. Scientia D. ad diversa objecta & connotata explicatur.

CAPUT II.

An aliquid sit, quod scientiam Dei subterfugiat?

SUMMARIUM.

1. 2. Deus se ipsum cognoscit, ac comprehendit.
3. 4. Satisfit objectionibus.
5. Nulla est creatura sive possibilis, sive futura, sive præterita, sive nunc extans, quæ Dei subterfugiat scientiam.
6. 7. 8. Solvuntur objectiones.
9. 10. 11. 12. Neque latent Divinam scientiam futura quolibet contingentia, & conditionata.
13. 14. 15. 16. Refutantur objectiones.
17. Deus intimas cujusvis creaturæ rationalis servatur cogitationes, & quæcunque peccata.
18. 19. 20. Solvuntur objectiones.

R. P. Berti Theol. Tom. I.

Aa

Quæ

Anquid sub-
terfugere
possit scien-
tiam Dei.

QUÆRUNT Theologi num Deus omnia revera cognoscat, semetipsum, creaturas posibles, præteritas, existentes, futuras, peccata, cordium cogitationes, & humanæ mentis figmenta: atque de his omnibus disputationem instituo.

1. PROPOSITIO I. Deus semetipsum
Propositiō 1. cognoscit, atque comprehendit.

Probatur
Deum se
ipsum co-
gnoscere.

Cognoscere semetipsum probatur ex sacris literis: Joannis x. 15. *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem.* i. ad Corinth. ii. 10. *Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Probatur auctoritate Augustini lib. xv. de Trinit. cap. 14. *Novit omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, &c.* Probatur ratione: Necessè est ut primæ Menti propositum sit præstantissimum intelligibile: Deus est prima mens: Ergo propositum est illi præstantissimum intelligibile: At nihil seipsa præstantius habet: Ergo semetipsam intelligit. Ex quo argumento illud infertur, quod Deus est scientiæ suæ objectum, ut Scholastici appellare consueverunt, *primum, ac specificativum.*

2. Probatur
Deum se
ipsum com-
prehendere.

Se autem Deum comprehendere sic ostendo. Comprehensio est infinita cognitio, in qua nihil latet videntem: Spiritum, qui scrutatur etiam profunda Dei, nihil latet: Ergo Dei Spiritus Deum comprehendit. Rursus *Sapientia Dei non est numerus*, ut habetur in Psalm. 146. Igitur nulla terminatione sapientia Dei circumscribitur. Præterea in eo sita est natura comprehensionis, ut præter essentiam rei tota ejus percipiatur efficientia, ut dixi lib. iii. cap. ii. Prop. 2. Deus videt seipsum, ut probatum est nuper, & quidquid ad ejus efficientiam attinet, ut mox dicitur: Semetipsum ergo comprehendit. Et denique Divina scientia nequit cogitari præstantior: At posset, nisi propriam divinitatem comprehenderet: Comprehendit igitur.

3. Opp. 1. Scientia & omnipotentia
Objectio 1. idem sunt: Nequit omnipotentia habere pro objecto ipsum Deum: Ergo istiusmodi objectum nequit habere scientia.

Solutio.

Resp. Nullum discrimen esse inter scire & posse Dei. Ratione nostra discernuntur, quod substantiam intelligentem & connotantem cognoscibilia vocamus scientiam: & substantiam potentem creaturas producere appellamus omnipotentiam. Igitur distinguo majorem. Idem sunt substantialiter & in

re, concedo: ratione objecti & connotati, nego. Alii respondent hanc esse disparitatem, quoniam scientia est actio immanens, omnipotentia transiens, ideoque objectum scientiæ potest esse intrinsecum cognoscenti.

Opp. 2. Quidquid comprehenditur scientis comprehensione finitur, ait S. P. lib. 12. de civit. Dei cap. 18. Deus nulla ratione finitur: Ergo Deus nulla ratione comprehenditur.

Resp. dist. ma. Finitur negative, nempe nihil penitus superest quod lateat videntem, concedo: Finitur positive, scilicet attingitur ultimus terminus visibilis, subdistinguo; dum comprehenditur objectum numero ac termino circumscriptum, con. nulla limitatione coarctatum, nego.

PROPOSITIO II. Nulla est creatura five possibilis, five futura, five præterita, five extans tunc, quæ Dei subterfugiat scientiam.

Prob. 1. ex Scripturis. Eccl. xxiii. 29. *Domino enim antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic & post perfectum respicit omnia.* In Epist. ad Hebr. iv. 3. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Huc spectant quæ

Prop. 1. Cap. præcedentis commemoravi. ii. Ex PP. Clemens Alexandrinus lib. vi. Strom. *Deus, inquit, omnia novit non solum, quæ fiunt, sed etiam futura, & quemadmodum erit unumquodque, ac particulares motiones prævidens, &c.* S. P. Aug. lib. xii. de civit. Dei cap. 20. *In una Dei sapientia esse immensos quosdam atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium, & mutabilium, &c.* iii. Probatur ratione: Deus videt quæ à sua voluntate dependent, quæ ad ipsius quoquo modo spectant efficientiam, quæ in ejus aut arte, aut idea, aut decreto quomodolibet continentur: Nihil fuit unquam, nihil erit, nihil esse potest, quod non pertineat ad vim effectricem Dei, ad ejus artem, voluntatemque: Ergo nihil est quod Divinam possit latere scientiam.

Opp. 1. Beatus Hieronymus in 1. Caput Habacuc ait: *Ceterum absurdum est ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula quot nascentur culices, quotve moriantur: quæ cimicum, & pulicum & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.* Non ergo Deus habet rerum minimarum cognitionem.

Resp.

Solutio.

Resp. dist. conf. Non habet rerum minimarum cognitionem simplicem, nego: cognitionem providam, subdist. cum amore studioque particulari conjunctam, qualem habet de nobis conc. universalem, quam postulat singularum creaturarum conditio, nego. D. Hieronymum denegare solam specialem curam, providamque ac sollertissimam rerum minimarum inspectionem, qualem Deus habet hominum, quibus & angelorum custodiam deputat, & innumera gratiarum dona largitur, non vero detrachere generalem dispositionem, ac ordinem, ex verbis patet, quæ immediate præcedunt & subsequuntur. Subdit namque: *Non finis tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosissimus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.* Atque hæc præmiserat: *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia; sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem, & ordinem cursumque rerum intelligere possumus.* Neque Hieronymus aliter sentire potuit, qui Epist. III. miratur Creatoris solertiam in minutis quoque animalibus formica, culice, vermiculis, & istiusmodi generis, quorum magis scimus corpora, quam nomina.

7. Objectio 2. Opp. 2. Futurarum rerum cognitio dicitur præscientia: In Deo nulla præscientia est, ut docet S. P. Augustinus in lib. II. quæst. ad Simplicianum q. 2., Greg. Magn. lib. XX. Moralium cap. 23. aliique apud Petavium lib. IV. Theol. Dogm. cap. VI. Ergo in Deo nulla est rerum futurarum cognitio.

Solutio. Resp. dist. minorem: In Deo non est præscientia, quæ rerum accessione perficitur, & qua objecta bis innotescunt, & prænoscendo antequam sint, & cognoscendo cum jam sunt, conc. In Deo non est præscientia, qua immutabiliter omnia, quasi nunc gerantur, in sua simplici cognitione considerat, nego minorem. *Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum apertissima insania est,* inquit S. P. Aug. in v. de civit. Dei cap. 9.

8. Objectio 3. Opp. 3. Paritur cognitio à potentia & objecto: Igitur si Deus cognoscat creaturas, istæ erunt causa Divinæ scientiæ.

Solutio. Resp. dist. ant. Paritur cognitio ex objecto, tanquam termino, conc. tanquam vi effectrice, nego.

9. Propositio 3. Propositio III. Neque latent Divinam scientiam futura quælibet contingentia & conditionata.

R. P. Berti Theol. Tom. I.

Futura contingentia ea sunt, quæ certam non habent & imperturbatam connexionem cum causis, sed vel libere pendent ab hominum voluntate, ut peccata; vel extra ordinem rerum eveniunt, ut monstra & ostenta. Conditionata vero sunt, quæ non erunt reapse, essent tamen, si certa poneretur conditio, ut Tyriorum poenitentia, si Christi vidissent miracula: vel reipsa erunt certa conditione posita, ut negatio Petri, si ab ancilla tentabitur.

Probatur assertum de futuris contingentibus contra Crellium, Wolzogenium, aliosque Socinianos, I. Scripturarum oraculo. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum,* legitur in Ps. XXXII. 15. *Signa & monstra scit antequam fiant & eventus temporum & seculorum,* Sap. VIII. 8. *Isaia 48. 8. Scio quia prævaricans prævaricaberis.* Et cap. XLI. 23. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* II. Probatur ex PP. Augustinus lib. V. de civit. Dei cap. 9. & 10. ubi Ciceronem Dei præscientiam negantem refellit, inter plurima hæc habet: *Deo certus est omnium ordo causarum &c.* Origenes apud Euseb. in III. de Præp. Evangelica: *Quidquid aliquando futurum est, id Deum multo antequam futurum prænosset, ut scriptura abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam & excellentiam Divinæ mentis intelligit.* Cyrillus Alex. lib. IV. in Isaia, *Deo natura convenit omnem habere & jam præteritorum & futurorum notitiam &c.* III. Probatur ratione; ac primum Deus non semel hujusmodi futura prædixit, ut regnorum everfionem, Messiae adventum, vocationem Gentium, infidelitatem Judæorum, templi abominationem, & his longe plura: Ergo prænoverat; atque ut scribit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. V. Divinæ præscientiæ tantos habemus testes, quantos ipse fecit Prophetas. Rursus sapientissimus artifex optime noscit quidquid elaboratis à se operibus potest contingere: Deus omnia in sapientia constituit: Novit ergo, ut scribit Ambros. lib. V. de Fide, suorum operum virtutem, causam, efficientiam, & quidquid potest inde prodire. Huc spectant argumenta, quæ petuntur ex idea comprehensionis, & omnia superiorum Propositionum.

De futuris, quæ talia sunt, si certa ponatur conditio, exhibet nobis argumenta Dei verbum lib. Sap. cap. IV. II. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum*

Explicatur futura contingentia & conditionata.

IO. Probatur Deum non latere futura contingentia, & conditionata.

II.

Probatur de futuris, quæ talia sunt, si certa ponatur conditio.

A 2 2

Etum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Præscivit ergo Deus quosdam, quos ex hac vita immatura morte subtrahit, crimina, si diutius viverent, patruros. Legimus quoque 1. Regum cap. xxiii. ii. Davidi dum consuleret Dominum *Si tradent me viri Ceile in manus ejus*, id est Saul, respondisse Dominum, *Tradent.* Perfulgata est etiam prædictio futuræ poenitentiae Tyrionum & Sydoniorum, si Christi opera ac virtutes vidissent, Matth. xi. 21. *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.*

12.
Confirmatur
ex S. Augu-
stino.

Multa sunt Augustini loca contra Pelagianos disputantis, quæ egregie hanc veritatem confirmant, veluti in lib. De dono perseverantiae cap. xi. *His quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus noluit subvenire, non subvenisse: de quibus in sua prædestinatione occulte quidem, sed aliter judicavit.* Et lib. de Corrept. & Gratia cap. viii. *Respondent si possunt, cur illos Deus, cum fideliter & pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animam eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.* Idem docet Prosper in Responsione viii. ad Excerpta Genuesium, Cyrillus lib. iiii. contra Julianum, Gregorius Magnus lib. xxxi. Moral. cap. 17. nunc 19. Bernardus serm. de Innocentibus, Chrysostomus lib. 1. ad Stagirium, Gregorius Nyssenus orat. de Infantibus, qui morte rapiuntur acerba, Magnus Leo serm. xvi. de Pass. cap. 2. Ratramnus Monachus lib. 2. de Prædestinat., & alii unanimiter.

13.
Obiectio 1.
cum solu-
tione.

Quædam circa divinarum prædictionum veracitatem, quæ à Socinianis obijciuntur vide lib. ii. cap. vii. Proposit. unica. Præter ea rursus oppones. Futura libera quæ ab hominum pendent arbitrio quamfrequenter Deus cum dubitatione prænuñciat, ut Jeremiæ xxvi. 3. *Si forte audiant, & convertantur unusquisque à via sua mala.* Ezech. ii. 5. *Si forte vel ipsi audiant, & si forte quiescant.* Joel. ii. 14. *Quis scit, si convertatur & ignoscat:* Matth. xxi. 37. *Verbuntur filium meum.* Joan. viii. 19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis, &c.*

Resp. hæc & similia humano more dicta esse, scilicet ut homines loqui so-

lent monita, doctrinamque adhibentes, atque ad probandum liberum hominis arbitrium: unde Hieronymus in locum cit. Matth. Nostro, inquit, *loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium.* Et in Ezech. *Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu.* Adverte, quandoquidem ille incidit sermo, ad verba dubitandi non semper importare incertitudinem. Ostendunt aliquando sollicitudinem, & spem erigunt, ut Exodi xxxi. 30. Moyses, qui tamen firmissime volebat orare pro populo, ait: *Ascendam ad Dominum, si quomodo quivero eum deprecari pro scelere vestro.* Et hoc sensu ait Deus per Joelem: *Quis scit si convertatur, & ignoscat?* Quandoque expletivæ particulae sunt, quasi utique, sane, præsertim ubi in Græco respondet cum aoristo indicativi *av, Si*, ut docet Priscianus: quod locum habet Joannis viii. 19. quorum verborum sensus est: *Si me sciretis, utique Patrem meum sciretis*, ut adnotavit Salmeron tom. i. pag. 320. Sæpenumero non dubitationem, sed rei difficultatem designant, ut Paulus ad Philip. iii. 15. *Si quo modo occurram ad resurrectionem.* Nam numquam de mortuorum resurrectione Paulus dubitavit. Hæc tamen valent potissimum ex parte Dei, sive ejus certissima revelatione supposita: & recte Augustinus tract. xxxvii. in Joannem: *Dubitationis, inquit, verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente: cum vero dicitur à Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Opp. 2. Quæ contingenter futura sunt determinatam veritatem non habent: Obiectio 2. Nequeunt ergo à Deo prævideri.

Resp. dist. ant. Veritatem non habent determinatam in mente Dei, in qua immutabili æternitate consistunt quæcunque in tempore mutabili contingentia prætereunt, nego: in secundis causis mutabilibus subdistinguo, pro futuro tempore, quo dubio procul aut evenient, aut non, nego; pro tempore præfenti, quo apud homines futurorum ignaros manent suspensa, concedo. Contingentia esse determinata, ut inquirunt, in actu signato, sive pro tempore, quod eveniunt, demonstrant argumentis pluribus Dialectici. Nolo ea repetere. Alterum addo apertissimum. Nullum arbitror esse dicturum, quod quæ nunc sunt, antequam fierent eventura non fuerint; inquit lib. v. de Consolatione Boetius. Quæcunque autem nunc sunt, nunc determinate sunt vera; Atqui plura sunt.

14.
Solutio.

fiunt nunc contingenter, ita ut potuerint non fieri: Ergo antequam fierent, & quando contingentia futura erant, habebant determinatam veritatem in actu signato, & pro tempore presenti, quo jam actu sunt. Vide nostrum Ariminensem Dist. xxxviii. Quæst. 1. art. 2. concl. 1. & Quæst. 2. art. 1.

15.
Instantia.

Insistes. Non alia ratione probant Dialectici futuris contingentibus determinatam veritatem inesse, nisi disjunctive, scilicet demonstrando quod vel non erunt, vel erunt, cum necesse sit ex duabus propositionibus contradictorie oppositis unam esse veram, alteram falsam. Ergo, inquit antiquus Theologus Aureolus, cognosci possunt à Deo futura contingentia tantummodo disjunctive; nempe id tantum nescit Deus, quod vel erunt, vel non erunt.

Solutio.

Resp. Ratiocinari Dialecticos de veritate quatenus apprehenditur à mente creata, quam latet nexus causarum, ac temporum fluctuatio; non ut percipitur à mente divina minime obnoxia falsitati, & certos rerum eventus firmiter intuentem. Alioquin erit nullum inter Dei, hominumque scientiam discrimen; ut bene ac sapienter in v. de Consol. Prof. iii. Boetius: *Quæ est hæc præscientia, qua nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc refert vaticinio illo ridiculo Tiresia? Quidquid dicam, aut erit, aut non. Quid etiam divina providentia humana opinione præstiterit, si, uti homines, incerta judicat quorum est incertus eventus?*

16.
Objectio 3.

Opp. 3. S. P. Augustinus, Prosper, & Fulgentius scientiam conditionatorum rejiciunt.

Solutio.

Resp. dist. ant. Rejiciunt in sententia Pelagianorum, qui electionem Dei commentitiis meritis subiciebant asserentes homines prædestinari ex præscientia bonorum operum naturæ viribus, non gratiæ auxilio perficiendorum, & in sensu Semipelagianorum, qui affirmabant ex duobus parvulis unum non alterum consequi gratiam baptismatis, quod præsciret Deus illum non istum, si vixissent, fore sibi obtemperaturum; concedo: Rejiciunt hi Patres scientiam conditionatorum in sententia Catholica, quæ docet præscire Deum futura conditionata, si certa ponatur conditio, quam nos in operibus naturalibus liberis contendimus esse determinationem voluntatis sese ad agendum applicantis, & in supernaturalibus auxilium Divinæ gratiæ; nego antecedens.

PROPOSITIO IV. Deus intimas cunctarum creaturæ rationalis scrutatur cogitationes, & quæcunque peccata.

17.

Propositio 4.

Sequitur ex enucleatis hucusque; & hæc possunt addi: Pl. lxxviii. 6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.* Et cxxxviii. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe.* Job. xxxi. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Jerem. xvii. 10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, &c.* Vide & Ephrem Syrum Tractatu de vita spirituali, Ambrosium lib. 1. de Off. cap. 14. Hilarium in Psalm. 137. Bern. Epist. 42. Prosperum Sent. 379. qui omnes subscribunt Augustino dicenti lib. 111. de lib. arb. cap. 4. *Deus prævidet eos qui propria voluntate peccabunt, &c.* Suffragatur & ratio: nam cordium cogitationes vel ad bonum sunt, vel ad malum: si ad bonum, ab ipso Deo præmovente efficiuntur; si ad malum, permittuntur, sinente Deo, ut mutabilis creatura sponte ab incommutabili bonitate defleat: At novit Deus quidquid misericorditer operatur, providoque consilio permittit: Ergo, &c.

Probatur
Deum Scrutari cogitationes & peccata.

Opp. 1. Habacuc 1. 13. legitur: *Mundi sunt oculi tui ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* Et Matth. xxv. 12. fatuis virginibus respondetur à Sponso: *Amen dico vobis, nescio vos.* Igitur reprobi eorumque mala opera à Deo minime cognoscuntur.

18.

Objectio 1.

Resp. dist. conf. Mala reproborum opera non cognoscuntur à Deo scientia practica, & approbationis, concedo: Scientia simplici, & speculativa, nego. Prophetam Habacuc de priori scientia loqui satis constat; miratur enim cur Deus patiatur Chaldaeos tanta perpetrare flagitia, & victorias suis idolis referre. Addit propterea: *Quare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorum se?* id est, cur patieris, cur hæc permittis? Legebatur ante Sextinam correctionem: *Quare non respicis?* & idem sensus est, scilicet, quare non punis, non vindicas? In Evangelio pariter ea verba, *nescio vos*, æquivalent his, *vos pro meis non habeo.* Frequens est in sacris Bibliis hæc phrasis, & scientia approbationis designatur Psalm. 1. 6. *Novit Dominus viam justorum.* 2. ad Timoth. 11. 19. *Cognovit Dominus qui sunt ejus;* & alibi, Hebræorum more, qui hac significatione usurpant verbum *יָדַע*, novit.

Solutio.

A 2 3

Insur-

19. *Instantia* Insurgens. Genes. xxii. 12. ait Dominus ad Abraham: *Nunc cognovi quod times Deum.* Ergo ante immolationem Isaac de ejus fide & obedientia anceps erat.

Solutio. Resp. nego consequ. Sensus enim prædictorum verborum est, nunc experimento comprobatum feci quod Deum timeas. Primo quoniam consueta est phrasys hæc in Scripturis, ut Jeremiæ xxiv. 5. *Si cognoscam transmigrationem Juda, quam emisi de loco isto in terram Chaldeorum, in bonum.* Deinde quia antea Gen. xviii. 19. dixerat Deus se optimè Abrahami probitatem novisse. Demum, quia ita hunc locum intelligunt S. P. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 12. & lib. lxxxiii. quæst. Q. lx. Ambrosius lib. v. de Fide ad Gratianum cap. vii. & viii. Hilarius lib. ix. de Trinitate, alique plurimi, qui nobis in obscurioribus Scripturæ locis faciem præferunt.

20. *Objectio 2.* Opp. 2. Peccata nihil sunt; ergo omni carent cognoscibilitate.

Cum solutione. Resp. dist. consequens, carent cognoscibilitate intrinseca, qua cognoscantur tanquam aliquid positivum à causa efficiente productum; conc. carent cognoscibilitate extrinseca, qua videantur

tur tanquam aliquid privativum in causa à veritate ac bonitate deficiente, nego. Diximus lib. 1. cap. viii. Prop. 2. disputantes adversus Manichæos malum non esse substantiam aliquam, sed secundæ causæ à recta ratione deficientiam. Quare ut malum cognoscatur, sufficit si videatur causa secunda à justitiæ tramite, & regula veritatis deficiens. Vide quæ illic differuimus, & clarissimum Ægidium in 1. dist. 36. quæst. 1v.

Eadem ratione cognoscuntur à Deo impossibilia, idola mentis, quæ dicimus *entia rationis*, & privationes quæcunque. De his Scriptor de Divinis nominibus cap. 2. ait dignosci formis oppositis, ut per ideam lucis notescunt tenebræ: quod Scholæ dicunt cognosci *indirecte & oblique*. Nolumus hic quæstionem miscere, quo in medio hæc omnia videantur à Deo. Jam cuncta ab illo cerni liquido comperimus, & cum Boetio lib. v. Metro 11. fidelissimè profiteamur:

Uno mentis cernit in actu

Quæ sint, quæ fuerint, veniantque,

Quem, quia respicit omnia solus,

Verum possis dicere Solem.

CAPUT III.

Num Dei præscientia cum animorum libertate consistat?

SUMMARIUM.

1. Ex opinione Democriti portenta errorum exorta sunt.

2. 3. 4. 5. 6. Ex Divina præscientia non con-

sequitur inevitabilis contingentium effectus; 7. 8. 9. 10. 11. Satisfit objectionibus.

I. *An Præscientia Dei cum animorum libertate consistat.* **T**ERRIMA ex opinione Democriti portenta errorum exorta, norunt quotquot veterum scita legerunt. Cum enim ille censeret à causis antecedentibus pendere omnia, & tali colligatione conserte fieri, ut nec quidquam esset penes nos, & cuncta necessitate contingerent; jecit semina inevitabilis dispositionis & fati, quod verterente quarto sæculo in siderum impulsu statuit Priscillianus Hispanus genere, & Manichæorum & Gnosticorum dogmate imbutus. Ex quo fonte Joannes Us, & qui post illum ausi sunt inficiari libertatem arbitrii, quod everti putant ex certa supernarum causarum ratione, pus venenumque biberunt. Ubi de antiquis Philosophorum placitis, præsertim Heracliti & Democriti differuit ornatissime Marcus Cicero in lib. de Divinatione & de Fato; ne fatalem illo-

rum fateretur necessitatem, satius esse existimavit si superiorum causarum diathesin, divinamque præscientiam negaret. Atque ita, *ut homines faceret liberos*, inquit S. P. lib. v. de Civit. Dei cap. 9., *fecit sacrilegos*, id est incaute substulit summi Dei cognitionem & cultum: quandoquidem non est Deus, qui universorum ordinem non comprehendit. Jam vero vindicata nuper Scientiæ Dei plenitudine, rejicienda est Gnosticorum & Hussitarum mala consecutio, quod ex præscientia consurgat contingentium necessitas, & interitus libertatis.

PROPOSITIO: Ex Divina præscientia non consequitur inevitabilis contingentium eventus. 2. *Propositio.*

Dogma istud Fidei probatur 1. In Dei scientia nihil est præteritum, vel futurum, sed sola incommutabilis æternitas, Probatum D. Præscientiam non consequi inevitabilem.